MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS IV: 1.7. 1.9.)

Melk, um 1470

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

Imitamini ergo filie fidem quam
quesistis. Nam sicut dixi talis est
dilectus meus quem diligo. et ipse est
amicus meus filie ierusalem. qui secreta
sui cordis mee patefecit anime. Certe
filie ierusalem ego dilecto meo. quia locum
habitacionis ei in me preparo. et dilectus
meus michi est. quia michi locum apud se recep
cionis preparauit hodie. qui pascit inter
lilia. id est casta mea desideria. Sed o
mater dilecti. quid de te dilectus tuus lo
quitur? Quam tuis laudibus redibucionem
tribuit? Ait enim. Pulchra es amica
mea uoluntate desideriorum. et decora propter
opera. terribilis demonibus et apostaticis spiri
tibus ut castrorum acies ordinata. Tre
munt sub te uirgine. pauent sub te
matre. in utraque acie conteris diabolum.
in utroque cornu omnem uentilas spiritum
immundum. Inter gemma splendidissima
sexaginta stant regine. quia soli dilec
tione dei preceptorum perfectionem habes
operum. Nam denarius decalogum perfec
tum habet opus numerus senarius.
Inter speciosis concubinas. quia nichil
agis amore temporalium que admit
tunt in se octonarium. Adolescentula
rum non est numerus quas diligis. quia
cupis mundum omnem obedire fidei; In
adolescentulis rudes et in renatis
animas intelligas. Tu es una tu colum
ba tu perfecta dicit tibi filius. Vide
runt ait dilectus tuus filie syon. Quid
uiderunt? Viderunt te dei matrem
et uirginem. uiderunt te gloriosam in ce
lum super cherubin et seraphin assumptam
esse hodie. letantibus spiritibus celestis
curie triumphare ac regnare in celis
et intra hodie. Et quid dixerunt?
Beatissimam te predicauerunt: et regine
que dilectum propter se ipsum diligunt
laudauerunt te. Te regine laudaue
runt et spiritales anime. Concubine in
idipsum consensere. hoc est carnales
anime. Sed o casti auditores.
cur queritis de orto concluso. de quo super
iam audistis cuius sit? Dei patris est
in quo sata fuit dei sapientia. De quo
dicit filius. Descendi in ortum nucum.
ubi nucleus in nuce. deitas in homi
ne sistebat: ut uiderem poma conual
lium. id est ut experirer fructum humilem
humanitatis anime assumpte. Poma
scilicet conuallium dei nostri incarnati. nati
uitas et passio de humilitate hominis
procedentia misteria pietatis. Ut
de orto dum egredior per fidem legata
riam. qui me cunctis incarnatum sic
eram deum et hominem protulit. respicerem
si floruissent ipsa fide uinee id est ec
clesie et fideles queque anime. et germinas
sent mala punica id est corporis marti
rium pro me. dum per fidem paterent et mor
tificarent uicia. Sed nesciui dicit
plebs iudaica. va ~~propter quadrigas amin~~
~~nadab id est propter euangelium christi quod sua~~
~~sponte~~ cat nesciui dicit et gentilis ista
fidem domini. Anima mea id est racionalis raci
o. dum uiderem christum hominem a moy
se datam legem dei soluere. conturba
uit me a fide ait plebs iudaica. propter
quadrigas aminadab id est propter euan
gelium christi qui sua sponte est oblatus
pro mundi remedio. Dei populus sponta
neus latine aminadab dicitur. Ergo
o iudea o gens rea. de hoc orto tam con
cluso sacra uirgine maria. ad te cla
mat dei filius. ad agnitionem ueritatis
ad patrem germanitatis te inuitans.
Reuertere ait o sunamitis id est o tene